



DE VIPERÆ PARTU-  
riente, Tabula secunda.

C A P. XVII.



PRIMO loca posita & explicata  
coeuntis Viperæ; secundo lo-  
co parturientis figura præmon-  
strata fuit, quò de partu ab an-  
tiquis ferè omnibus, uno excepto Aristote-  
le, monstra & nugæ tollerentur, quæ à vero  
longissimè absunt. Viperam in partu ene-  
cari, & caput masculi à vipera abscindi, u-  
trumque à vero longè distat. C, igitur den-  
tes canini, acuti, perforantes cum vesicis,  
aut gingivis indicant. A & B, latera superio-  
ra capitis eminentia, quæ à Nicandro tube-  
ra & cornua vocantur. D, os vulvæ, vel  
osculum externum cum catulo Vipereo, F,  
exeunte. E, sanguis, & foetus excrementa cir-  
cumfusa. G, Viperulus in involucro mox e-  
xiens, quod statim dehiscit, ac rumpitur, ve-  
luti secunda in puerulis. Hic autem Viperulus  
naturaliter exiens, nondum senectam exiit  
uterinam, qua triduò exspoliari solent. Et hac  
in re diligenter animadvertendum est, Aristote-  
lem ambiguitate laborare, idest, involu-  
crum